UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CAtalogus sancto//rum [et] gestor[um] eor[um]

Petrus <de Natalibus>

Lugduni, 1508

De sancto Andomaro ep[iscop]o. Cap[itulum]. lviij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70797

Visual Library

idus ſeptembris: circa annos domini. cclxx. ¶ Interiecto autem tẽpore corpus ſancti gorgonij inde leuatum ⁊ romã tranſlatũ eſt. ¶ Anno autem domini. ccccccclxiiij. epiſcopus meteñ. nepos pipini regis ipm ad gallias tranſtulit: ⁊ in gorgocieñ. monaſterio collocauit.

¶ De ſancto Dorotheo abbate. Cap. lvi.

Dorotheus abbas in egypti partibus claruit: hic genere thebeus inter patres egypti ſanctitate nõ minimus quotidie a mari lapides colligens ⁊ annis ſingulis habitaculum vnum edificans: ipſum: edificare ſibi cellas non volentibus cõcedebat. Noctibus ꝟo ſportulas operabatur: vt venderet: propter cibum pauperibus miniſtrãdũ. Cibus ꝟo eiꝰ erat panis vncie ſex: ⁊ oleum minutorũ: faſciculus modicus: aqua ꝟo exigua in potu vtebatur. Nunq̃ viſus eſt in lectulo ſoporatus: vel pedes: pro requie tetendiſſe: vel pro voluntate dormiſſe. Quieuit autẽ in pace. v. idus ſeptembris. Hec invitis patrũ.

¶ De ſancto Sergio papa et confeſſore. Cap. lvij.

Sergiꝰ papa natione ſyrꝰ de ciuitate antiochie: ex patre tiberio cononi pontifici in epiſcopatu romano ſucceſſit. Et ſedit annos. ix. mẽſes. viij. dies. xxiij. Hic romam veniens ſub deodato põtifice: inter clerum romane eccleſie connumeratus: quia ſtudioſus erat in officio cantilene acolitꝰ factus eſt. Qui per ordines aſcendens a leone pontifice ſecundo: in titulo ſancte ſuſanne preſbyter ordinatus eſt: qui impigre per cimiteria martyrũ celebrabat. Defuncto ꝟo conone papa populus vrbis rome in duas partes diuiſus eſt. Et vna quidem pars elegit theodorum archipreſbyterum: alia ꝟo paſchalem archidiaconum. Cumqꝫ vnus alio locum non cederet: ſed vterqꝫ immaniter permaneret: vt vnus alium ſuperaret: plurimaqꝫ pars cleri ⁊ populi ad ſacrum palatium pertexiſſet: vt tractarẽt quid fieri deberet deo annuente in perſonam denominari ſergij venerabilis tunc preſbyteri concordantes ſe contulerunt. Eumqꝫ in lateraneñ. epiſcopatũ deducentes elegerũt. Sicqꝫ in ſede beati petri pontifex ordinatus eſt tempore iuſtini iunioris. ¶ Hic põtifex eccleſiam lateraneñ. reparauit. Et vt agnus dei ter cantaret intra miſſarũ ſolẽnia conſtituit. ¶ Hic etiã diuina ad eum reuelatione facta in ſacrario ſancti petri inuenit capſam argenteam in loco obſcuriſſimo multe annoſitatis. Ita vt iam non argentea videret: in qua ſigillũ erat expreſſum: quo ablato inuenit crucem gemmis ornatã: ⁊ ineffabilem portionem crucis dominice intus incluſam: que in die ſancte crucis adoratur. Corpus quoqꝫ primi ſancti leonis pape tranſtulit ipſo reuelante: Qui etiam propter defenſionem eccleſiaſtice libertatis a iuſtino imperatore in exilium relegatus: ac demũ ab eo reuocatus eſt. Et poſt laudabilem vitam in pace quieuit. Et ſepultus eſt apud ſanctuꝫ petrum. Et ceſſauit epiſcopatus menſem vnum: ⁊ dies viginti.

¶ De ſancto Andomaro epõ. Cap. lviij.

Andomarus epiſcopus claruit apõ tamaneñ. ciuitatem. Hic ex aurea a valle non longe a cõſtantia ciuitate: patre friulfo religioſo ⁊ nobili viro ortꝰ eſt. Et vna cuꝫ eodẽ patre ſuo oĩbus pro xp̃o relictis ad cenobium luxorieñ. quod a ſancto colũbano abbate in burgundia conſtructum fuerat: pergentes ambo ſub abbate euſtaſio monachi facti ſunt: vbi friulfus in ſanctitate perſpicua vſqꝫ ad finem vite perſeuerauit. Andomarus ꝟo in epiſcopum tamaneñ. electus per annos pluſq̃ triginta eccleſiam ſuã feliciter gubernauit. Ciues quoqꝫ ſuos: qui poſt doctrinam: quã a ſanctis fuſciano ⁊ victorico perceperãt ad idolorꝫ culturam reuerſi erant ad chriſtum redire fecit. ¶ Cum autẽ ſemel graui tẽtatione carnis vreretur: exemplo beati benedicti inter vepres et vrticas ſe nudum volitãs: ignẽ illũ libidinis extinxit. ¶ Dum apud villam torniacũ ſub arbore quieuiſſet: crucem domini de lignis factum arbori affixit: ⁊ ſequẽti nocte lux deſuper celica radiauit: multorũqꝫ ex ipſa cruce egritudines curabantur. ¶ Per annos plurimos ante obitũ ſuũ lumen oculorum amiſit: ad eius lumen ſanctitatis augendum: nec tamẽ vnq̃ inde turbari viſus fuit. Sed cũ tranſlationi corpori ſancti vedaſti epiſcopi apud atrebateñ. vrbem facte ab auſberto epiſcopo intereſſet: lumen ſibi oculorum redditum eſt. Finita ꝟo corporis tranſlatione orauit ad dñm: ⁊ iterum vt periit ad votũ ſuũ rurſum excecatus eſt. Quieuit in pace quito idus ſeptembris. In cuius tranſitu mira fragrantia in domo eius reſperſa eſt: lampades quoqꝫ ad eius tumultum dependentes oleũ diſtillauit: quo egri perũcti a lãguoribus ſanabãtur. Cuius corpus in eius eccleſia tumulatũ a

ſancto bertino abbate tranſlatum: ſepultum eſt in monaſterio ſancti cythini.

¶ De ſancto Hilario papa & confeſſore. Cap. lix.

Hilarius papa natione ſardus ex parte chriſpino leoni primo pōtifici in epiſcopatu romano ſucceſſit. et ſedit ānos .vi. mēſes tres: dies .x. Hic conſtituit vt nullus pōtifex ſucceſſorē ſibi conſtitueret. Qui non ſolū in elemoſynis dandis pauperibus quotidie ſtuduit: verumetiam pleraſq; baſilicas auro argentoq; inſigniter decorauit. Et fecit ad ſanctum laurentium balneum & monaſterium. Et hic plenus ſanctitate & virtutibus quieuit in pace. iiij. idus ſeptēbris: & ſepultus eſt ad ſanctū laurentiū in crypta iuxta corpus beati ſixti epiſcopi: & ceſſauit ep̄atus dies .vi.

¶ De ſanctis Nemeſiano & Felice et ſociis martyribus. Cap. lx.

Nemeſianus: felix: lucius: ali⁹ felix: litheus: polianus: victor: lador: datius ep̄i: multiq; preſbyteri & diacones apud aphricam martyrium paſſi ſunt ſub perſecutione valeriani et galieni imperatorū: qui exurgente perſecutionis rabie ad primā cōfeſſionis chriſti conſtantiam grauiter fuſtibus ceſi: deinde compedibus vincti: et ad fodiēda metalla deputati: glorioſe confeſſionis agonē cōſumauerunt: quorū etiam exemplū ſecuta multiplex plebis, eorum portio cum eis pariter coronata ē. Extat epiſtola beati cypriani ad ipſos & de ipſis ſcripta: q̄ paſſi ſunt. iiij. id⁹ ſeptēbris.

¶ De ſanctis Soſthene & Victore martyribus. Cap. lxi.

Soſthenes & victor martyres apud calcedoniā paſſi ſunt ſub proconſule priſco: qui cum beatam euphemiā virginē ſub eodē proconſule decertantē vidiſſent immenſo lumine circundatā: & angelorum et virginum choris cōſtipatam conuerſi ſunt ad xp̄m: vt dicetur infra in paſſione euphemie. xvi. kal. octobris. vnde ipſi ambo a proconſule detenti: primoq; in carcerē truſi: indeq; pducti ad ſtipites ligati ſunt: vrſi quoq; ipſis ac leo ferociſſimi laxati fuerunt. Sed cum ab eis in nullo leſi fuiſſent quin potius omni depoſita feritate pedes ſanctorū lingerēt. Proconſul illos in cuppa cremari mādauit: qui dato ſibiī‍nuicem pacis oſculo ſpiritum emiſerunt quarto idus ſeptembris.

¶ De ſanctis Protho & Hiacyntho martyribus. Cap. lxii.

Prothus & hiacynth⁹ martyres rome paſſi ſunt ſub galieno imperatore. Hi ambo fuerunt eunuchi domicelle: et in ſtudio philoſophie ſocij eugenie ꝟginis filie philippi nobiliſſimi romanorum alexandrie prefecti: qui et ab ipſa virgine vna cum patre et claudia eius matre ad chriſtum conuerſi ſunt: vt ſupra in eius paſſione actum eſt octauo kalendas ianuarij.

¶ Sed poſtq̄ beata virgo eugenia paſſa eſt prothus & hiacynthus iuſſu imperatoris tenti ſunt: et ad templum iouis adducti vt ſacrificarent: qui oratione ſua ſimulacrum comminuerunt: et cum ſacrificare nollent: primo quidē fuſtibus diutiſſime ceſi ſunt: deinde capitis obtrūcatione martyriuz compleuerunt tertio idus ſeptēbris circa annuz domini ducenteſimūquinquageſimūſextum: & ſepulti ſunt via ſalaria vetere in cimiterio priſcille.

¶ De ſancto Helia abbate. Cap. lxiii.

Helias abbas in deſerto egypti in regione thebaide claruit. Qui deuotarum virginum curam habens in grādi monaſterio trecentas feminas collegerat: earumq; vitam & cōuerſationem regulabat: quod cum biennio feciſſet grauem tentationis carnem ſentiens adhuc iuuenis annorum triginta exiſtēs per ſimilitudinem fugit: iugi biduano ieiunio ac triduano carnē domās. Cui in ſomnis tres angeli apparuerunt interrogantes cur deo dilectas virgines reliquiſſet. Quibus reſpondit ꝙ vitiuz carnis incurrere formidabat. Moxq; ab vno eorū viſum eſt ei genitalia nouacula preſcidi. Sicq; ſecurus redire monetur. Expergefact⁹ vir domini genitalia quidez repperit: ſed tentationem abſciſam omnino perſenſit. Sicq; ad cenobium reuerſus quadraginta annis ibidem vixit: aſſeuerans ꝙ nunq̄ decetero in cor eius talis cogitatio aſcendit. Feneſtre quoq; ibidem conſtructe ſedebat: ſorores erudiens: cum nec ad eum ipſe aſcēdere: nec ipſe ad illas deſcendere poſſet. Quieuit autem in domino tertio idus ſeptēbris: cui ſucceſſit ſanctus dorotheus qui in ſuperiori monaſterij cella conſenuit. Hec heraclides.

¶ De ſctō Helia alio abbate. Cap. lxiiii.